



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. II. Proponit Nebridii dilemma; quo substantiam mali bono Deo contrariam, evidenter refellebat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

V S V S.

Ipso naturæ lumine S. D. agnovit immutabile & incorruptibile melius esse eo, quod est mutabile & corruptibile, sicque *Tertium gradum* ad veram fidem fecit, illum Manichæorum errorem deponens, quo fateri cogebantur *Dei substantiam esse mutabilem, quia substantia mali permixta, errare vel invita cogeretur.*

C A P. II.

Proponit Nebridii dilemma, quo substantiam mali bono Deo contrariam, evidenter refellebat.

I. **S** At erat mihi Domine, adversus deceptos illos, & deceptores, & loquaces mutos (quoniam non ex eis sonabat verbum tuum) sat erat ergo illud, quod jamdiu ab usque Carthagine *a* à Nebridio proponi solebat: & omnes, qui audieramus, concussi sumus. Quid erat tibi factura nescio quæ gens tenebrarum, quam ex adversa mole solent opponere, si tu cum ea pugnare noluisses? Si enim responderetur, aliquid fuisse nocituram, violabilis tu & corruptibilis fores. Si autē nihil ea nocere potuisse diceretur, nulla afferretur causa pugnandi; & ita pugnandi, ut quædam portio tua & membrum tuum, vel proles de ipsa substantia tua misceretur adversis potestatibus, & non à te creatis naturis: atque intantum ab eis corrumperetur & commutaretur in deterius, ut à beatitudine in miseriam vertetur; & indigeret auxilio, quo erui purgarique posset; & hanc esse animam, *b* cui tuus sermo fervienti liber, & contaminatæ purus,

purus, & corruptæ integer subveniret: sed & ipse corruptibilis, quia ex una eademque substantia.

2. c Itaque, si te quicquid es, id est, substantiam tuam, quasi incorruptibilem dicerent, falsa esse illa omnia & execrabilia. Si autem corruptibilem, idipsum jam falsum, & prima voce abominandum. Sat ergo erat istud adversus eos omnino evomendos à pressura pectoris; quia non habebant, qua exirent sine horribili sacrilegio cordis & linguæ, sentiendo de te ista, & loquendo.

N O T Æ.

- a *A Nebridio proponi solebat*) hoc nimirum dilemma, *Vel substantia mali, potuit nocere Deo, vel non: si prius, Deus est mutabilis & violabilis: si posterius, non est causa, cur Deus pugnaverit cum substantia mali.*
- b *Cui tuus sermo*) Christus, quem ex lucidissima substantiæ divini parte conflagant Manichæi.
- c *Itaque si te, &c.*) alterum Dilemma est, *vel incorruptibilis est divina substantia, vel corruptibilis: si prius, cadunt signa Manichæorum, præsertim de duplici substantia animæ in eodem homine: si posterius, repugnat lumen nature, quod dicitur Deum esse incorruptibilem, cum sit optimus, melius autem est incorruptibile corruptibili, ut inf. c. 4. dicit.*

C A P. III.

Deprehendit liberum arbitrium esse causam peccati, unde autem voluntas male vellet & bene nollet, nesciebat.

1. **S**ed & ego adhuc, quamvis incontaminabilem, & inconvertibilem & nulla ex parte mutabilem dicerem, firmeque sentirem Dominum nostrum Deum ve-